


 DE STATU ANTIQUO AC HODIERNO
 CAPITULATIONUM EPISCOPALIUM
 SPECIMEN HISTORICUM.

Drimus, de quo ex antiquitate constat, legitur *Artaldus* Episcopus Arelatensis, qui Seculo XI. *Urbani II.* Ævo, non ante tamen, sed post Electionem, se Canonicis suæ Ecclesiæ jurejurando adstrinxerat. Archiepiscopus Narbonensis latentem idcirca Simonia labem illi suo Suffraganeo aspergens, Consecrationem denegabat. *Artaldus* Urbanum Papam Romæ implorans, consecratus quidem est, sed non nisi novo sacramento purgatus: se nullam ante, ut eligeretur, cum Canonicis fecisse Conventionem. *Can. Artaldus 2. Caus. VIII. Q. 3.*

A. 1411. Cathedrale Capitulum Herbipolense primâ à se conditâ *Capitulatione* varios communi Consilio Articulos prodidit, quos solenni jurejurando confirmare debuit *Joannes II.* nobilis *Allata*, ex perantiqua illustri familia *de Brun*, in Ecclesiæ Antistitem & Provinciæ Ducem tùm recens electus. Verùm hujus Pacti non minùs ac sacramenti desuper præstiti mox impatiens, Romæ à *Joanne XXII.* relaxationem petiit, petitamque impetravit. Capitulum, hoc non attento, eundem suum Episcopum ac Ducem iterùm coëgit, exactam pristina Capitulationis observantiam novo sacramento spondere. Episcopus verò iterata isthæc Capituli sui studia, novâ absolutione obtentâ, eluisse testatur Chronicum Wirzburgicum *Laurentii Frijens* apud *de Ludewig*, Cap 21. fol. 702. & Cap. 6. fol. 696. Idem Wirceburgense Capitulum hujatis sui Præfulis A. 1440. defuncti exemplo edocium,

ejus-



ejusdem in sede Episcopali Successorem *Godefridum IV.* eo inde adeò adegit, ut formulà magis solenni novo sacramento vallatà, tàm Papali quàm quâcunque alià, esto sponte oblatà, Absolutione ac vel Dispensatione cederet, ac perpetuò renunciaret; Formulam exhibet idiomate germanico *Lânig P. 2. spic. eccl. pag. 1004.* his Verbis: „Ueber diesen meinen Eyd keinerley Dispensation, Ufflösung, oder Leuterung von dem Stuhl zu Rom, oder von einem jezigen heiligen Concilio impetiren oder erwerben, durch mich oder jemand anders, heimlich oder öffentlich; und ob das auch sonst aus eigener Bewegnis der obersten (pâbstlichen) Würde verlihen, wie sie das möchten: so will ich doch das nicht aufnehmen, und solcher Dispensation, Ufflösung, oder Leuterung zumahl nicht gebrauchen ic. also helfe mir Gott, und diese heilige Evangelien“.

Eandem mox jurisjurandi Formulam secundo Moeno Rhenoque Moguntiam fuisse delatam, atque *Dietbero* Isenburgo-Büdingensi Archiepiscopo recens electo à Canonicis obtrusam, docet *Georgius Joannis* in *Annotationibus ad Serrarii res Mogunt.* Tom. I. p. 777. ad A. 1459.

Abusum duris adeò nexibus adstringendi sacros Praefules, integra sensit incluyissima nostra Natio germanica, quando inter atrociora sua gravamina Norimbergæ A. 1522. exhibita, & hoc retulit gravamen septuagesimum primum: „Erwöhlen die Thumherren der Thumstift keinen Bischof, er habe sich dann zuvor uffs höchste mit Eyden obligirt, und demassen gegen ihnen verpflichtet, daß er ihnen oder ihren Officialen ihr beschwerlich und unbillig Fürnehmen, und Handlung nicht wenden, auch sie selbst um ihre Ueberfahrungen nicht strafen wolle. Das denn ohne Zweifel nicht eine kleine Ursach viel unziemlicher Misbräuche der Stiftern ist, und von pâbstlichen Stuhl billig nicht gedultet wird“.



Hasce tam Præfulum eccl. quàm universæ Nationis germanicæ que-
relas præ oculis habuit *Concilium Moguntinense* A. 1549. celebratum,
ubi Capitè 87. ita constituisse legitur: „Juramenta, per quæ nonnun-
quam via debitæ Correctionis præcluditur, & Prælati à promovenda
Ecclesiarum suarum Disciplina & Utilitate impediuntur, omnino tolli
debent. Et Nos cum sancta Synodo talia omnia damnantes, . . . Præ-
latis Capitulorum ad ejusmodi Correctionem per præsentem facultatem
impertientes, districte eis præcipiendo injungimus, ut . . . juramenta
non necessaria, à sede Apostolica non confirmata, non obstantibus qui-
buscunque consuetudinibus (cùm iniquitati longinquitas temporis pa-
trocinari non debeat) corrigant, cassent, & tollant“. ap. *Harduin.*
Tom. IX. Concil. pag. 2135.

Anno 1642. sub Die 19. Junii summus Pontifex *Urbanus VIII.*
Capitulationem, quam metropolitanum Coloniense Capitulum serenissimo
Maximiliano Henrico, utriusque Baviaræ Duci in Coadjutorem
electo, servandam ac juramento confirmandam obtulerat, speciali *Bullâ*
cassavit, omnique robore ac obligandi vigore penitus exiit, sub hæc
verborum energiâ: „Nobis innotuit, quod Occasione Constitutionis Ma-
ximiliani Henrici in Coadjutorem, & præstiti desuper Consensus Capi-
tuli, quædam Capitulationes inter ipsos Capitulares cum dicto Maximi-
liano Henrico factæ & ab eo subscriptæ ac juratæ fuerint; Hinc est, quod
Nos, sine quorum Auctoritate nihil omnino in similibus negotiis pacisci
fas est, ne ex Capitulationibus hujusmodi, licet ob licentiæ Apostolicæ
defectum ipso jure nullis & invalidis, aliquod cuiquam jus quæsitum,
aut dictæ Ecclesiæ, illiusque Præfuli seu Coadjutori & Capitulo quale-
cunque gravamen illatum, jurisdictionique & Libertati ecclesiasticæ,
quoquo-modo præjudicatum fuisse, esse & fore, unquam prætendi vel
cen-



cenferi, & ne unquam quovis temporis Cursu, prædictas Capitulationes fuiffe per Nos & fedem Apostolicam approbatas allegari possit: pro pastorali nostra sollicitudine providere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, ex Voto etiam Congregationis Cardinalium, omnes & singulas Capitulationes prædictas, nullas ac prorsus invalidas, nulliusque roboris & momenti fuiffe, esse, & semper fore, adeo, ut nullum omninò fortiri possint aut habeant effectum, æquè ac inite factæ, & juratæ nunquam fuissent, tenore præsentium declaramus“. ap. *Lünigium* in Continuat. III. spicil. eccl. des deutschen Reichsarchivs.

Eodem Anno die 22. Augusti, idem Pontifex cassavit Capitulationem à cathedrali Capitulo Ratisbonensi, *Francisco Wilhelmo* Comiti Wartenbergico, Episcopo Osnabrugensi & Præposito Bonnenfi, in Coadjutorem Ecclesiæ Ratisbonensis electo præscriptam, quæ præter alia, hæc etiam Art. 12. expressè vetabat: „*Ne Episcopus ullum Ecclesiæ suæ Canonicum, cujuscunque delicti reum in jus vocare presumat, sed illum coram Capitulo veluti primo judicio convenire, accusare, illique pœne, quam Capitulum veo dictaverit, adquiescere velit*“. Quà conditione vel ipsa Episcopalis jurisdiclio nativa subtrahi, ordo judicialis intercidi, ipsaque peccandi impunitas, publico quasi pacto constabiliri videbatur. *Lünig.* loc. cit. fol. 1216. sq.

Aliis post hæc aliisque tùm Episcoporum noviter promotorum apud sedem Romanam querimoniis, tùm Capitulorum protestationibus summopore ingravescentibus, pertinacissimæ tandem Litis flamma, commune quasi longe latèque grassans incendium erupit sub Pontificatu *Innocentii XII.* qui gravissimam hancce tanti momenti Causam, tribus maximi nominis & perspicacissimi ingenii Cardinalibus,
facri



facri Concilii Tridentini nuper habiti Interpretibus discutiendam dedit, qui A. 1692. secretis uno ore Calculis decreverunt: „*Prælatorum ecclesiasticorum Capitulationes quascunque* (ob commune periculum five aliàs de se bonas five malas) *bucusque & imposterùm, sede vacante ante vel post Electionem* (sine Consensu Pontificis quo ad spiritua- lia) *factas vel faciendas, & juramento à Neo-electo firmatas irri- tandas esse* (& quidem quoad temporalia) *de Scitu augustissimi Impe- ratoris à D. Nuntio Viennæ desuper informandi*“ Quid quod is ipse demùm sapientissimus Pontifex tres adhuc alios adhibuit sacre Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui die 29. Martii A. 1694. concordibus invicem Calculis iteratò convenerunt: „*Omnes Præsulum Capitulationes, Con- ventiones, & Concordata cum Capitulis ante vel post Electionem inita, quàmvis juramento vallata, omninò esse cassanda*“ Atque duplicatum hocce Decretum Auctoritate Apostolicâ indutum, per Nuntium Ponti- ficis præviò exhibitum fuit *Leopoldo* Imperatori, qui ex plenitudine suæ Potestatis cæsareæ illud, quò ad temporalia, singulari Decreto de die 9. Februarii 1695. ratum habuit, & confirmavit.

Secuto demùm Anno 1695. die 22. Septembris, ipse *Innocen- tius XII.* neglectis tot Capitulorum Literis Libellisque supplicibus, notissimam solemnemque edidit Bullam, quæ incipit: „*Ecclesiæ catbo- licæ.* In quâ Pontifex (ut ipsissima ejus verba sonant) *ad penitùs extirpandum atque evellendum Capitulationum abusum, quibus cano- nica Præsulum jurisdictio ut plurimùm circumscribitur, Capitulis quibuscunque distriçte prohibet & interdicit, ne Capitulationes bujus- modi de cetero inire, condere aut facere audeant quovis modo seu præsumant, illasque quatenùs de facto inite fuerint, nullas, inanes, invalidas, irritas, Viribusque & effectu penitùs ac omninò vacuas, à nullius roboris & momenti esse & perpetuò fore, neminemque ad*



illarum, etiamsi juramento vallatae sint, Observantiam teneri, aut obligatum existere vel fore, decernit & declarat; Quae vero Electione seu Postulatione secuta, quomodolibet iniuri contingeret, ad Romanum Pontificem pro tempore existentem quamprimum deferri, atque ita sedis Apostolicae iudicio subijci praecipit, suspensa interim eorum omnium & singulorum (Articulorum) Executione, donec & quousque ab eadem Sede, Confirmationis Apostolicae robur in totum vel in partem receperint.

Bullam hancce Innocentianam, ipse summus Pontifex per Nuntium Apostolicum Vindobonae residentem, augustissimae Majestati caesareae Leopoldo M. exhibuit, qui novo solenni Decreto, eandem ceu laudabilem probavit & confirmavit, paternamque suae Sanctitatis Apostolicae pro bono Ecclesiae sollicitudinem, Imperiali sua Auctoritate sese protectum iri, disertè spondit. ap. *Lünigium* loc. cit. pag. 528.

Interea hoc praesente adhuc Seculo, summus Pontifex *Clemens XI.* in Consistorio secreto Romae habito die 28. Septembris 1713. non specialem tantum Episcopi Passaviensis noviter confirmandi Capitulationem ab eo juratam, sed & generaliter omnes qualescunque alias Capitulationes Episcopis ante aut post Electionem seu postulationem à Capitulis praescriptas aut praescribendas, in vim *Constitutionis Innocentianae*, de novo damnavit in sua *Oratione Synodali*, hisce verbis concernentibus: „Quas propterea Capitulationes juxta formam novissimae *Constitutionis Innocentii XII. Praedecessoris nostri*, ne ex quovis temporis lapsu, aut ex quacunque alia causa, tacite vel expresse per Nos, & sedem Apostolicam approbatae seu confirmatae censeantur vel praesumi unquam possint, diserte & expresse nullas, irritas, & invalidas, vivibus & esse tu penitus & omnino vacuas, ac nullius roboris & momenti esse,
 &

Et perpetuū fore, neminemque ad illarum Observantiam teneri, aut obligatum existere vel fore, perinde, ac si nunquam factæ, initæ aut juratæ fuissent, declaramus“.

Atque hæc demūm de Statu antiquo & hodierno Capitulationum Episcopaliū, pro specimine historico, paucis narrata, hæc vice sufficiant.

P A R E R G A

EX

JURE PUBLICO GERMANIÆ ECCLESIASTICO ET SECULARI.

- I. **F**orma Regiminis Ecclesiastici non est Monarchica.
- II. Nec purè Aristocratica.
- III. Sed mixta.
- IV. Præter Petrum enim inter pares Primatem, & ceteros Apostolos posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.
- V. Ex quo cordatè scribit *S. Bernhardus* L. 3. de Confid. ad R. Pontificem: „*Evras, si ut Summam, ita & solam à Deo institutam vestram Apostolicam Potestatem existimas.*“
- VI. Nec minùs rectè *Bossuetius* in Def. Cler. Gal, L. 13. *Bellarmino* contrarium adserenti respondet: *Scripturis & Traditione demonstrandam, non ex proprio Cerebro, vanisque Ratiocinationibus Christianæ Reipublicæ Formam esse affingendam.*“
- VII. In Negotia mere temporalia Ecclesiæ nulla de se competit Auctoritas.

VIII.